

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiae Lipsiensis Festum Spiritus Sancti Pie Ac Devote Celebrandum Intimat

Fleischer, Christoph

Lipsiae, [1701?]

VD18 12419745

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200633)



1. Progr. Cipp. natal. it. len.
2. Progr. Lipp. pulch. it. len. it. Erfurt.
3. — — Pentec. it. Witt.
4. Hardthura Helmst.
5. Hebreæ de æra nativ. Christi
6. Bel Hist. lingua Ungar.
7. Reimnitz Postscriptum



61. C. 2

61 C 2

43.
44

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
FESTUM
SPIRITUS
SANCTI

PIE AC DEVOTE
CELEBRANDUM
INTIMAT.

f. 24

Cap. VII, 39.

Heb. IX, 14.



Irum forte alicui videri possit, quod Johannes Apostolus in Historia sua Evangelica scribere ausus fuerit: *Tum* (temporis, cum CHRISTUS adhuc in his terris versaretur) *nondum fuisse SPIRITUM SANCTUM*: cum tamen, si personam Spiritus S. spectemus, ab æterno fuerit; si dona Spiritus hujus miraculosa intelligamus, Prophetæ quoque in Veteri Testamento per multa secula iis fuerint præditi; si denique dona ejus sanctificantia respiciamus, fidelibus quoque Vet. Testamenti Spiritum S. datum fuisse certum sit. Torsit hæc difficultas non paucos tum veterum tum recentiorum Interpretum. Putant nonnulli ita scriptum fuisse, *ἐπεὶ γὰρ ἦν πνεῦμα, nondum erat Spiritus*, i. e. singularium, donorum effusio, *metonymice*. Quomodo etiam in præcedenti membro nudum hoc nomen occurrit. Nam *ἀγίων*, quod Græci eodices, nec tamen omnes habent, Syrus, Perfa & Latinus, Veteresque Scriptores non agnoscunt. Itaque explicandi causa adjectum esse dicunt a Librariis. Quæ mera est conjectura. *Chrysostomus* legisse videtur non *ἦν* simpliciter, sed cum addito *ἦν δοθέν*. Nam in textu hoc ponit, tanquam de textu sit. Sicut in Græcis quibusdam adjectum videmus, *ἐπ' αὐτῷ*. Syrus etiam legit expresse: *nondum datus erat*. *Codex Vaticanus* habet *δεδωμένον*. Consentit *Vulgatus*, non in omnibus tamen exemplaribus. Eundem sequuntur *Erasmus*, *Pagninus*, *Arias Montanus*, *Tigurina*, *Castalio*, *Beza*. Arabs vertit: *Spiritus Sanctus nondum venerat*. *Æthiops*: *nondum habuerunt* (credentes) *Spiritum S.* *Chrysostomi* lectionem acerrime propugnat *Maldonatus*, pluresque producit auctoritates. Sed, si consulamus *Theophylactum*, suo jam tempore ipsum non invenisse hoc additamentum in Exemplaribus videmus: alioqui procul dubio suum secutus fuisset *Chrysostomum*, cujus epitomator erat. Unde potius *τὸ δοθέν* veluti glossam addidit, *ἐπεὶ ἦν πνεῦμα ἅγιον, δοθέν δηλονότι, nondum erat Spiritus Sanctus, datus scilicet*. Hodie vero Græci codices constanter legunt: *ἐπεὶ γὰρ ἦν*, sine hoc additamento *δοθέν*. *Tremellius* tamen recte suppleri dicit a Syro, quod non comparet in contextu Græco: esseque vocis ex voce correlata in membro præcedente (quem accepturi erant creden-

dentes) eruendæ ellipsin. Dare enim & accipere relata sunt. Alii
vocem istam a Macedonianis erasam esse putant. Sed vana & horum
est conjectura. Nec multum isti causam suam juvabunt, qui contra
Spiritus S. divinitatem hic aliquid moliuntur. Si namque Spiritum
Sanctum, non personam, sed proprietatem tantum divinam esse con-
cesserint, illam tamen divinam proprietatem ab æterno in DEO fuisse
oportet, & ante, quam JESUS glorificaretur, extitisse. Non itaque
illi quæstionem evitabunt, sed nodum nobiscum solvere tenebuntur;
Sin Spiritum S. donum tantum & operationem motumque divinum
in hominibus esse pro pugnaverint, in veteri tamen Testamento ejus-
modi motus, operationes, dona extitisse constat, ut hi quoque nondum
quæstioni satisfecerint. Sed audiamus, quam responsionem ad hæc
Theophylactus ex Chrysostomo repetat: Dicimus, inquit, Prophetas
absq; controversia in Spiritu locutos, sed donum hoc contractum fuisse,
ac æterna secessisse: atque ideo, quamvis in temporibus Prophetarum
operabatur, tunc tamen ob populi indignitatem, quando Christus in car-
ne ambulabat, non familiarem fuisse Prophetiam, neque illorum sancta
& templum respexisse DEI gratiam. Quia igitur, pergit, tunc quidem
non existeret operatio Spiritus, sed erat danda; propter hoc ait Christus:
nondum datum fuisse Spiritum Sanctum, h. e. non versatum in Judæis,
nec apparuisse per operationes. Apostoli autem non in Spiritu, sed in
potestate Domini miracula faciebant. Receptissimam hæc responsio
sapit Gentis Judaicæ sententiam de discessione Spiritus Sancti post
mortem Zachariæ & Malachiæ Prophetarum, perfecto & consignato
tum Canone Vet. Testamenti. Sed valde veremur, ut cum analogia
Scripturæ satis conciliari possit. Nonne enim tunc erat operatio Spi-
ritus S. quando Elisabetha salutationem Mariæ audiens repleta est Spi-
ritu Sancto: & in eodem Spiritu prophetavit Zacharias Pater Johan-
nis Baptistæ: quando Simeoni divinitus nunciatum est a Spiritu S.
ipsum non visurum mortem, priusquam vidisset Christum illum Do-
mini: quo impulso etiam venit in templum, de puerulo JESU mul-
ta præclara vaticinatus? Annon Spiritum DEI Johannes Baptista vi-
dit descendentem quasi columbam & venientem super JESUM ba-
pizatum? Nonne, ut Christus digito DEI h. e. Spiritu S. qui est vir-
tus DEI operatrix, ejecit Dæmonia, sic & Apostoli in eodem Spiritu,
cui potestas Domini non est opponenda, ante ascensionem ejus in
cœlos,

Lightfo. Hor.

Heb. ad A&

XIX, 2.

Luc. I, 4.

Ib. v. 67.

Luc. II, 26. 27.

Matth. III, 16.

Conf. Luc. XI,

20. cum Matth.

XII, 28.

cœlos patrarunt miracula? Melior sine dubio responsio, quam ex
 Augustino & Beda repetiit Maldonatus in h. l. *Datum quidem fuisse
 Spiritum S. sub Vet. Testamento, sed non visibiliter, non omnibus ætati-
 bus, non tam copiose & largiter, quam postea datus est: ita ut si prior
 illa largitio cum secunda comparetur, ne datus quidem ante fuisse vi-
 deatur. Nusquam enim (quæ ipsa Augustini verba sunt) legimus an-
 tea congregatos homines, accepto Spiritu S. lingvis omnium gentium lo-
 cutos fuisse. Post resurrectionem autem suam (Dominus) primum,
 quando apparuit discipulis, dixit illis: Accipite Spiritum Sanctum. De
 hoc ergo dictum est: Nondum erat Spiritus datus, quia JESUS
 nondum erat glorificatus. Quamquam, pergit Jesuita, ego non ad il-
 lum locum refero, ubi insufflans in Apostolos dixit: Accipite Spiritum
 S. sed ad diem Pentecostes, cum Spiritus Sanctus specie linguarum & i-
 gnis in Apostolos effusus est. Quasi vero Augustinus ipse non ad eun-
 dem locum de effusione saltem tacite retulisset, quamquam ei adhuc
 alterum de insufflatione Sp. S. expresse subjunxerit. Sed neque hæc
 responsio satisfacit. Quid tum enim? si maxime Spiritus Sanctus in
 Vet. Test. non visibiliter, nec continuis temporibus datus fuerit, cum
 nec in Nov. Test. omnibus ætatibus, quoad miraculosa & extraordi-
 naria dona, sed saltem invisibiliter, quoad communia charismata, do-
 netur. Neque immerito dubitatur, num solum abundantis & copio-
 sæ largitatis discrimen difficultati medeatur. Sic igitur ista potius re-
 movenda videtur, ut Spiritus Sanctus non ipsam ejus essentiam aut
 personam nude, sed sub singulari modo & respectu datum & acce-
 ptum significet, ac si dicat Evangelista: *nondum enim erat Spiritus S.
 a JESU post passionem ac mortem suam resuscitato, & ad dextram
 DEI Patris exaltato, fidelibus in ipsum credentibus, ut Spiritus gratia
 & adoptionis datus, & ab illis acceptus. Atque hanc interpretatio-
 nem nobis cohærentia textus cum antecedentibus atque consequen-
 tibus sponte ac evidenter subministrat: Si quis sitit, veniat ad me &
 bibat: qui credit in me, sicut dixit Scriptum, fluvii ex ventre ejus fluunt
 aquæ viventis. Hoc autem dicebat (Dominus) de Spiritu, quem (a
 JESU) accepturi erant credentes in ipsum. Nondum enim erat Spi-
 ritus Sanctus (a JESU datore acceptus) quia JESUS nondum erat
 glorificatus. Hinc non est, quare vel Novi vel Veteris Testamenti tem-
 pora objiciantur; cum satis constet, Spiritum Sanctum a Filio DEI
 incar-**

incarnato & in carne exaltato, neque sub Veteri Testamento, neque in Novo, ante glorificationem JESU ex mortuis resuscitati, ulli creditum datum fuisse. Quod enim dicit: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat*, id eam vim habet: Omnia quæ hæcenus egistis & habuistis in Sacrificiis & reliquo cultu Levitico, tantum umbræ sunt rerum futurarum & crepundia. Hæc non possunt nec debent vos satiare. Alia vobis parata, & jam prope adest, lætitia. Ecce ego Patribus vestris promissus adsum Messias, qui dem vobis salutem æternam. Sed ea non pertinet nisi ad sitientes, h. e. ad eos, qui intelligunt, quid DEUS suo præpararit populo, & veram illam justitiam coram DEO valentem anhelant. Nam qui hæc ignorant, nec expetunt aut desiderant, sed jam pleni, ut sibi falso persuadent, atque saturi sunt, isti inanes manebunt. Ego autem omnibus cum siti ac desiderio ad me venientibus obuius sum, & neminem a me repello. Quid vero est *venire ad Christum & bibere*? Id explicat verbis: *qui credit in me*. Hoc plus est, quam si dixisset: *qui credit mihi*. Significat enim credere, quod CHRISTUS JESUS sitim ac desiderium suum possit explere, & quod in ipso sint omnia, quæ homo recte desiderare aut expectare debet a Deo, ut in eo gloriatur, tanquam in DEO suo, eique gratias agat. Ita autem credentibus in se gratiam promittit JESUS, ut & abundantiam ejus sint habituri: *Qui credit in me, fluvii ex ventre ejus fluent aque viva*. Metaphoram hic agnoscimus eam, qua quod copiosum est, nec per os angustum prodire potest, toto quasi ventre aperto, ut flumen, prodit. Simplex verborum Christi sensus est: *qui credit in me, accipit promissionem Spiritus, qui & ipsi omnem sitim adimat, & abundantem faciat eum fructibus Spiritus, ad multorum conversionem & vitam*. Idque confirmat auctoritate Scripturæ: *Sicut dixit Scriptura*. Solet quæri, ubi hoc extet in Veteris Test. Scriptura? Respondemus, sensum horum verborum atque veritatem variis Scripturæ testimoniis confirmari. Nam, cum hoc dictum sit *de Spiritu, quem accepturi erant credentes Novi Testamenti*, sicut Evangelista declarat; quot factæ sunt promissiones de effusione Spir. S. sub Vet. Testam. (sunt autem earum non paucae) tot etiam veritatis hujus dicti prostant testimonia. Jam subjicit Evangelista: *Hoc dicebat de Spiritu, quem accepturi essent credentes in ipsum*. Qui crediderant promissioni Scripturæ dicentis: *Credentes in Christum abundaturos esse fructibus Spi-*

EC. XLIV, 3.

Joel. II, 28. sqq.

Zach. XII, 10.

ritus, veluti fluminibus aquæ vivæ, profecto sine Spiritu DEI non crediderunt promissioni. Nam & Petrus Apostolus testatur: *Prophetas in Spiritu Christi locutos fuisse de passionibus ejus & gloria illas consecuturas*: & Paulus scribit: *eundem nos habere Spiritum fidei, in quo loquimur cum fidelibus Vet. Testamenti*. Eſaias autem, in quorum ore ponit verbum DEI, in iisdem etiam collocat Spiritum DEI. Adhæc David orat: *ne Spiritus DEI a se recedat, sed ut se ducat in viam veram*. Omitto nunc alia testimonia plura. Quemadmodum autem per Spiritum S. Veteres credebant promissioni, quæ pollicebatur, effusum iri Spiritum S. tempore Messiae, ita per Spiritum S. ſitiebant adventum Christi, a quo Spiritus S. qui est *Spiritus Christi*, ſingulari modo & respectu effundendus erat ſuper fideles. Itaque idem Spiritus faciebat ſuum in Veteribus, qui facturus erat ſatietatem in fidelibus Novi Testam. Idem Spiritus, qui tunc non erat *hoc respectu*, & tamen in ipsis erat *alio respectu*, faciebat, ut animadverterent *eum nondum eſſe hoc modo ſingulari*, ac ſibi perſvaderent, ſic olim certo futurum eſſe. Nempe is Spiritus, qui tum operabatur fidem testimonii DEI cum *Spe* Messiae venturi, poſtea *Fidem* in ipſum jam consummatam, idque cum lætitia filiorum, operaturus erat. Et quemadmodum in filiis DEI, ſub jugo legum ceremonialium tum gementibus, fuit Spiritus (δουλεύας) *ſervitutis*; ita cum JESUS, *ὡς τὸ πᾶν* per passionem mortis, gloria & honore eſſet coronatus, futurus erat Spiritus ἐλευθερίας *libertatis*, & υἱοθεσίας *filiationis*, ſive Spiritus gratiæ & precum, qui κατ' ἐξοχὴν vocatur Spiritus DEI, & Spiritus Filii DEI, ea mente, quod efficiat in iis, quibus datur, quod dignum eſt DEO Patre & Filio DEI mediatore: *quem accipiunt credentes in ipſum*. Hunc Spiritum Evangelista dicit nondum fuiſſe, *quia JESUS nondum eſſet glorificatus*. Adeo multum differebat tempus, quod anteceſſit Christi glorificationem, hoc eſt *ſeſſionem ad dexteram majestatis in excelsis*, quæ demum poſt reſurrectionem ejus ex mortuis & aſcenſionem in cœlos contigit ex eo, quod conſecutum eſt, tempore; ut non ſine ratione potuerit ab Evangelista dici: *etiamſi eſſent, qui crederent in Christum, in carne jam exhibitum, tamen Spiritum S. nondum fuiſſe*. Proinde, ſi quis dicat omnia eadem eſſe prioris & poſterioris temporis, is nobis aperta videtur Scripturæ contradicere. Sane comparative hæc intelligenda ſunt: ſed neceſſe eſt, eam locutionem

1. Pet. I, 11.

2. Cor. IV, 13.
Ef. LIX, 21.

Pſ. LI, 12. &
CXLIII, 10.

Ef. XI, 4.
1. Pet. I, 11.
Rom. IIX, 9.

Rom. IIX, 15.
Hebr. II, 9.
2. Cor. III, 17.
Rom. IIX, 15.
Zach. XII, 11.
Rom. IIX, 9.
Gal. IV, 6.

Heb. I, 3, IIX, 1.

tionem comparativam fundamentum habere, propter quod tempo-
 ra Vet. & Nov. Testamenti a se invicem distinguantur oppositae. Non
 tantum enim est profectus, sed etiam abolitio ejus quod praecesserat
 ac impedimento fuit, ut quod perfectum est de priori tempore dici ne-
 queat, atque ita tum abolitio istius quod fuit, tum ἐπεὶ αὐτῇ ejus,
 quod non fuit, locum habebit. Unde Paulus: *Nihil consummavit* Heb. VII, 19.
lex (ceremonialis) sed superintroducenda spes potior, per quam appro-
pinquamus Deo. Item *lex umbram obtinens futurorum bonorum,* Heb. X, 1.
non ipsam expressam formam rerum, nunquam potest accedentes con-
summare. Defuit igitur sub Vet. Test. id, quod consummaret acce-
 dentes; imo fuit, quod cum consummatione pugnaret. Attamen
 Spiritus Sanctus operatus est, ut *spem consummationis,* ita etiam *ser-*
vitutem elementorum mundi, quæ tantum sub veteri Testam. invenie-
 bat locum, cum τελείωσις nondum daretur. Nam, quando causa
 consummationis accedentium ad Deum extat, etiam τελείωσις ipsam
 exstare necesse est. Hæc autem *glorificatio Christi est.* Quia Christo
 glorificato nihil deest appropinquantibus Deo ad summam, quæ in
 hac vita dari potest, lætitiæ, gratiarum actionem, atque gloriatio-
 nem. Non male in hunc locum Scripturæ difficilioris Jo. Calvinus: Comm. in Joh.
Scimus æternum esse Spiritum: Sed Evangelista illam Spiritus grati- VII, 39.
am, quæ post Christi resurrectionem effusa fuit in homines, quamdiu
sub humili servi forma versatus est Christus in mundo, palam extitisse
negat. Et comparative quidem loquitur: Sicuti cum opponitur No-
 vum Testam. Veteri. Deus Spiritum suum fidelibus promittit, ac si
 nunquam cum Patribus dedisset. Jam tum certe primitias Spiritus
 acceperant discipuli: nam unde fides, nisi a Spiritu? Ergo non sim-
 pliciter negat Evangelista gratiam Spiritus ante Christi mortem piis fu-
 isse exhibitam: Sed nondum ita illustrem & conspicuam tunc fuisse,
 ut postea futura erat. Est enim hoc præcipuum regni Christi decus,
 quod Spiritu suo Ecclesiam gubernat. Atqui justam & quasi solen-
 nem regni sui possessionem tunc adiit, quum erectus est ad Patris dex-
 tram. Non mirum ergo, si plenam Spiritus exhibitionem ad illud
 tempus distulit. Superest tamen una questio, num hic visibiles Spiritus
 gratias, an vero regenerationis intelligat, quæ adoptionis est fructus?
 Respondeo, in donis illis visibilibus, tanquam in speculis, Spiritum appa-
 ruisse, qui sub adventu Christi promissus fuerat: proprie tamen hic agi
 de

de virtute Spiritus, qua renascimur in Christo ac efficitur novæ creaturæ. Ut rem in pauca conferamus, qui ante speraverant in Christum, quam appareret in carne, & qui crediderunt in Christum jam in carne manifestatum, priusquam glorificaretur JESUS, non fuerunt sane expertes Spiritus Christi, nondum tamen acceperunt *aquam vivam*, quam biberent & non sitirent amplius, atque ut *fluvii aqua viva ex ventre eorum fluere*nt, hoc est nondum ita consolationem & læticiam Spiritus acceperunt, ut possent loqui verbum Evangelii, quod necesse erat ex ore credentium in Christum audiri, ut omnes gentes id audirent, & acciperent, & loquerentur in toto mundo: post quod auditum, nullum aliud verbum audiendum erat, ut consummatum esset regnum gratiæ in his terris, & pax, & justitia, & communio hæreditatis Sanctorum annuntiaretur gentibus. Tunc autem proprie esse dicitur *Spiritus Sanctus*, & a Christo JESU *in dextra magnitudinis in cælis sedente* datus, quando credentes eum in hac mensura acceperunt, ut *fluvii aqua viva ex ventre ipsorum fluere*nt, & sic possent annuntiare Christum glorificatum & in eo gloriari. Qui Spiritus ut lucem dat & claritatem æigmatibus, & umbris, & figuris, & promissionibus, & prophetiis V. T. ita læticiam gignit in cordibus fidelium, atque sic auget amorem Dei in eum gradum, ut *timorem, qui tormentum habet, ejiciat*. His observatis, non modo difficillimum istum Johannis locum recte interpretari, sed & *Seculum Spiritus S. genuinum a spurio*, quod hic fingunt nonnulli, discernere licebit. De Ulroque cras in solenni panegyri nobilissimus Juvenis DN. M. JOHANNES CASPAR RHEIN Winshemio Francus, venerandi PARENTIS sui haut degener Filius, eleganti Oratione e suggestu Academico, in solennissima panegyri plura dicturus est. Cui audiendo ut PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICÆ AMPLISSIMI e Sacello Nicolaitano ad templum Paulinum nos more consveto comitari ne graventur, ipsa diei sanctissimæ Solennitas interpellet. Studiosos vero JUVENES ad frequentem præsentiam & attentionem exhortamur, nullum huic ipsorum officio pretium statuentes, cum ipsa sibi pro præmio Pietas futura sit. PP. in Vigiliis Pentecostalibus, die XIV. Maji, Anno seculi decimi octavi primo.

L I P S I Æ,
 Litteris FLEISCHERIANIS.

61 C 2

10-18

